possit inferre censuras: ratio Vulgaris: Sotus aliique pauci volunt foeminam nec iure naturali nec divino incapacem esse inferendi censuras, sed tantum iure humano Ecclesiastico. Et hinc volunt, quod Summus Pontifex possit hoc negotium committere foeminae, quia possit dispensare in iure humano Eccl.: Suarez disp. 2. n. 7 ait: iure divino non competere foeminas ferre censuras: hoc tamen non esse introductum per aliquam constitutionem, nec per consuetudinem, nec posse conferri hanc potestatem ab aliquo inferiore, quam Summo Pontifice: et licet quidam Summum Pontificem dare hanc potestatem, non constat, quod unquam talem in opus elegerit: Sed contraria sententia, quod sit foeminam esse incapacem spiritualis iurisdictionis, adeoque etiam ferendo censuras, est communior et ubique magis recepta etiam iuxta Suarezium. Et constat ex Cap. nova de poenitentiis et remiss.: cap. de monialibus de sententia excommunicationis: et cap. dilecta de maioritate et obedientia: et praesertim patet ex cap. nova ubi dicitur: beatissimam Virginem digniorem et excellentiorem longe fuisse Apostolis, et tamen claves non B.mae Virgini, sed potius Apostolis fuisse collatas: ratio insuper est hoc, foeminis non potest nec ex commissione Summi Pontificis competere potestas clavium, seu clavis ordinis, hae enim possunt ex commissione Pontificis excipere confessiones non tamen ut ministri poenitentiales sigilli, sed ex ipsa incapacitate sexus: ergo nec possunt ferre censuras. antecedens patet ex modo dictis, quod claves nec B.mae Virgini sint traditae. Consequentia prob.: ad hoc ut quis possit ferre censuras debet possidere capacitatem alicuius iurisdictionis: atqui omnis potestas spiritualis ordinatur ad clavem ordinis, et procedit ex clave ordinis, quia clavis ordinis non est aliud, nisi potestas remittendi peccata: ergo qui non habet clavem ordinis, seu qui non potest remittere peccata,

© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII66/0711
gefördert durch Baden-Württemberg